Signum Petri dei gra...

Testes sunt

Petrus archiepiscopus Terrachon Cancell...

Signum Petri ... dei

pecuniis ac nostris ne...

lmon scriptorum nro pres...

P. d. gra.

Dominus Rex ... cum posse ...

ut mandat michi Petro Martini

Vidit eam ...

Ja. Conesa

P.

X

Nos Petrus dei gratia Rex Aragonum Valentie Maioricarum Sardinie et Corsice Comesque Barchinone Rossilionis et Ceritanie. Ex preteritorum memoria que probabilem rationem solent inducere de futuris sedule cogitantes quanta dispendia quantaque
periculosa discrimina Regnis in se divisis consuevit ingerere scisma vel firmo desolarum. Quod tota res publica Regnorum et terrarum quibus auctore domino presidemus in multis abolim presensit et adhuc omnino dissensionum
fanila non euasit. tanto prudentius salubrius super hys intendimus ut tenemur futuris preca(ve)re periculis ac nostris nostrorumque fidelium obviare dispendiis quanto longe melius
atque perfectius regalis magestas potentia imperat et quieta se suosque gubernat cum multorum locorum insignium robore circumfulta eiusdem civilis potentia permanet indivisa. Igitur attendentes qualiter Castrum et
Villa de Biar sita in confinibus Regni Valentie sunt notabilis et insignes et in tali situ posite quod non parum expedit immo necessarium imminet nostre corone Regie reique publice Regni nostri ut ipsum castrum et villa a nostra
corona Regia nullo umquam tempore separentur. Tenore presentis carte nostre seu privilegii cunctis temporibus valiture tam motu nostro proprio quam subsidio et auxilio prestito per universitatem ipsius Castri et ville illustri
Alienore Regine Aragonum consorti nostre carissime que dictum Castrum et villa ex concessione per nos inde sibi facta ab heredibus detentoribus et bonorum possessoribus nobilis Hugueti de Vilariacuto senioris quondam
qui ipsa certis de causis iuribus sive titulis a nobis tenebat cum universis redditibus et iuribus suis pignori obligata redemit luit et quitavit Inducti. per nos et omnes heredes et successores nostros volumus concedimus
atque promittimus in bona fide nostra regia vobis fidelibus nostris iusticie iuratis et probis hominibus universitatis Castri et ville de Biar predictorum licet absentibus tamquam presentibus et scriptori infrascripto pro vobis et omnibus
illis quorum interest intererit ac poterit interesse hec a nobis legitime stipulanti paciscenti et recipienti ac iuramus per dominum deum et eius sancta quatuor evangelia corporaliter a nobis tacta quod dictum Castrum et villa
de Biar cum suis terminis vel territoriis predictis vel alcareis aut aliquam partem ipsorum generaliter vel specialiter numquam separabimus dividemus segregabimus vel alienabimus in filium seu filios nostros nec aliquam aliam
personam vel personas mundi ecclesiasticas seu seculares nobis propinquas vel extraneas per modum seu viam donationis infeudationis venditionis impignorationis permutationis nec cuiusvis alio genere alienationis quocumque modo
possit dici vel exprimi ad imperpetuum vel ad tempus quacumque de causa etiam si extrema necessitas constringeret vel utilitas diceretur. Quinimmo volumus et decernimus ac legem pactionatam et incommutabilem facimus
ac perpetuam quod Castrum et villa ipsa cum omnibus suis alcareis terminis et territoriis ac iurisdictione sua alta et baxa ac omnimoda integritate eorum remaneat et sint unita perpetuo et incommutabiliter corone Regie
Aragonum pariter et affixa. Et nunc de presenti eadem affigimus unimus et incorporamus et vinculo indissolubili annectimus corone nostre Regie. Sic quod deinde Castrum et villa ipsa sint perpetuo membrum corone
Regie antedicte Aragonum et Regni Valentie. Et sic membrum notabile ab ipsa corona et Regno tamquam a suo corpore nequaquam valeat separari per diem sibi nec etiam sic nec potest membrum a suo corpore
absque lesione et deformitate ipsius segregari. Et si per nos aut aliquos successores nostros scienter vel ignoranter fieret vel temptaretur de facto cum de iure non possit contrarium illud ex nunc pro tunc et econverso
irritum decernimus et inane et tamquam factum et attemptatum contra proprium iuramentum in dispendium salutis eterne nostri et ipsorum successorum nostrorum et in preiudicium etiam et iactura vestri dicte universitatis et
proborum hominum dicti Castri et ville de Biar quibus ius est quesitum in consistencia et annexione perpetua ipsius Castri et ville cum Regia corona nostra et indivisibili unitate cui iuri numquam derogari volumus
aliqua via mundi etiam si diceremus aut offerremus nos verum solvere interesse. Nos enim expresse et ex certa sciencia quascumque leges et iura canonica vel civilia quibus permissum sit aut indultum certis
casibus vel certis rationibus donationem vel alienationem fieri posse per Reges aut principes seu quasvis alias personas de civitatibus Castris seu locis non obstante privilegio in contrarium inde facto quo ad hec
irritas ex nostre Regie plenitudine potestatis esse decernimus invalidas penitus et inanes ac carere viribus omnibus et effectu et presentem legem pactionatam dictis iuribus contrariis volumus et decernimus
prevalere illa universa iura que hys suffragari possint ex dicte potestatis plenitudine ipsis totaliter applicantes. Et volumus ac vobis dictis iusticie iuratis et probis hominibus dicti Castri et ville presentibus et
qui pro tempore fuerint concedimus ac plenariam facultatem elargimur quod casu quo premissorum contrarium fieret illi cui fieret inde facta donatio concessio venditio permutatio aut quevis alia alienatio de premissis
necnon etiam cuivis a nobis potestatem habenti tradendi possessionem de eisdem seu iussis aut mandatis ipsius vel ipsorum teneamini minime obedire immo possitis contradicere et resistere cum armis et sine, eorumque viribus
valeatis etiam si noster fuerit Gubernator Regni Valentie aut eius vices gerens tamquam persone extranee et cui non essetis in aliquo obligati. Et si propter dictam contradictionem vel resistenciam in personis alicuius
vel aliquorum dampna neces vel vulnera inde fuerint subsecuta que per vos illata vel patrata esse dicerentur de ipsis nobis vel correctioni aut punitioni aliam teneamini nullo modo nec ob hoc possit infamia aliqua denotari
immo nunc pro tunc et econverso vos de ipsis absolvimus quitiamus perpetuo et immunes vos facimus dictum Castrum et villam cum eius alcareis territoriis iurisdictione terminis iuribus et dominatione ipsius nobis preservantibus ut nunc
sunt tamquam naturali et directo domino eorumdem. Et hec omnia et singula per nos et omnes successores nostros volumus et concedimus atque promittimus sub virtute superius prestiti per nos iuramenti tenere et observare perpetue
irrefragabiliter et teneri et observari facere et contra non facere aliquo iure causa seu etiam ratione. Obligantes inclitum et magnificum Infantem Johannem primogenitum nostrum carissimum Ducem Gerunde et Comitem
Ceritanie ac in Regnis et terris nostris generalem Gubernatorem et universalem heredem et successorem nostrum et quoscumque alios successores nostros et suos sub paterne benedictionis obtentu ad observanciam omnium
premissorum et hic contentorum pro solidancia huiusmodi perpetue unitatis que per eosdem laudari et firmari iubemus ac corporali iuramento roborari. Premissa igitur omnia et singula volumus concedimus promittimus
convenimus et paciscimur in bona fide nostra Regia et sub religione superius prestiti iuramenti per nos et omnes heredes et successores nostros vobis dictis iusticie iuratis probis hominibus ac universitati dictorum Castri et
ville de Biar et singulis vestrum presentibus et futuris et scriptori etiam infrascripto pro vobis et pro omnibus illis quorum interest intererit ac poterit interesse a nobis legitime stipulanti paciscenti et etiam recipienti eis me-
lioribus et utilioribus viis modis et formis quibus possit intelligi dici et exprimi ad observanciam premissorum omni fraude sublata et absque aliqua conditione et retentione quam non facimus in eisdem. In
cuius rei testimonium presentem cartam nostram vobis inde fieri iussimus sigillo magestatis nostre appendicio communitam. Datum Terrachone duodecima die Marcii Anno a nativitate domini Millesimo trecentesimo septuagesimo.
Regnique nostri tricesimo quinto. Vidit R(ex).

Signum ✠ Petri dei gratia Regis Aragonum Valentie Maioricarum Sardinie et Corsice Comitisque Barchinone Rossilionis et Ceritanie. Qui hec laudamus firmamus et iuramus.

Testes sunt
Petrus archiepiscopus Terrachonensis Cancellarius.
Romeus Ilerdensis Episcopus.
Petrus comes Urgelli domicellus.
Hugo vicecomes Cardone amiratus.
Raymundus Alamanni de Cervilione miles dicti domini Regis Consiliarius.

Sig✠num Petri Marterii dicti domini Regis scriptoris. Qui de eius mandato hanc promissionis cartam scribi fecit et clausit. Constat autem de raso et correcto in prima linea futuris precavere
periculis ac nostris nostrorumque fidelium. Et in xxxvi linea nec ob hoc possit infamia aliqua. Et in xxxvii linea vos facimus dictum Castrum et. Et in xxxv linea sunt. Et in xxxviii
linea scriptoris nostri infrascripti. Corrigit etiam in ix linea scriptori.

R(egistrata).

3



Excma. Diputación Provincial
Alicante